e-codices

Non eum ignarum moris locorum in quibus versatur,
ubi, et quo quæque loco conquirenda sint, quâ arte,
quo ære ac industria, ipsa nos experientia edocet;
novit siquidem sagacissimè in quo ichthyopolio delicatiores
pisces vilissimo emantur pretio; si carnes desideret,
ubi pinguissima altilia, quavè excorianda arte,
astutius quàm lanio quisquam novit; si dulciaria
ventri lenocinentur, et famem excitent, in quo
alvearia foro venum exponantur non ignorat; medica-
mentis si indigeat, ubi præstantissima quærenda,
accuratè perspectum habet: Naturâ quia ingeniosus
est vel maximè tauros tantum pinguiores, aut vastos
lautissimè boves, quorum palearia multa luxuriant
pinguedine aggreditur, tum eorum suâ dexteritate
eludens fortitudinem, cornibus se appendit, et donec
humi ruant hoc pondere fessos opprimit; pisces
optimos non minori ingenii sagacitate insectatur.
Mente iustissimus est, qui iniuriam nemini facit,
ideo hominem nisi iusta ex causa ad se defendendum
provocatus, lædere nunquam attentat. Et ad hoc
tam splendidè, lautèque reficitur, qualiter nec ditissimus
œconomus suam aliquando familiam nutrivit, ut
gravissimi illud Catonis, quod prudenti dispensatori
tribuit maximè in hunc quadrare videatur, quod sit:
benè se pascat, deinde quod satis benè pascat; an
non benè, et satis benè se pascit, qui dulcibus, delicatis,

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%2052r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%2052r)